



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 356/17

PLOCENSIS

Sanctum Stanislaum Kostka, insignem Masoviae filium, Societatis Iesu sodalem, christianis virtutibus magnisque clarum miraculis, clerus et christifideles Poloniae, potissimum iuvenes, peculiari et constanti cultu venerantur sibi suisque divina auxilia exposcentes.

Inde Excellentissimus Dominus Petrus Libera, Episcopus dioecesis Plocensis, in qua Sanctus ille natus est et adolevit, communia excipiens vota, in locum Sancti Stanislai, episcopi et martyris, electionem Sancti Stanislai Kostka in Patronum principalem praedictae dioecesis, rite approbavit.

Idem vero, litteris die 19 iunii 2017 datis, enixe rogavit, ut huiusmodi electio et approbatio, iuxta Normas de Patronis constituendis confirmarentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

SANCTUM STANISLAUM KOSTKA PATRONUM PRINCIPALEM APUD DEUM DIOECESIS PLOCENSIS

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 20 mensis novembris anno 2017.

Robertus Card. Sarah

Robertus Card. Sarah
Praefectus

+ *Arturus Roche*

✠ Arturus Roche
Archiepiscopus a Secretis